Städtisches Gymnasium zu Bochum.

Beilage zu dem Jahresbericht über das Schuljahr 1881/82.

121

De lituris et correctionibus

quae inveniuntur

in Xenophontis Anab. codice C (Parisino 1640).

Scripsit

Adolfus Matthias.

1882. Progr. No. 307.

BERLIN.

Druck von W. Pormetter.

1882.

Constantius fund

De lituris et correctionibus quae inveniuntur in Xenophontis Anab. codice C (Parisino 1640).

Auctoritatem codicum ad restituendam Xenophontis orationem non sufficere omnes fere viri docti censent, qui in emendanda Xenophontis oratione operam et studium collocaverunt; nam codices non solum vitiis ac mendis omnis fere generis iisque antiquis, sed etiam multis grammaticorum correctionibus ita deformati sunt, ut saepissime difficillimum sit cognoscere, quae Xenophontis ipsius sit genuina oratio. Anabasis codices optimi cum diligentissime sint collati a viris doctissimis, collatione denuo facienda fore ut nihil fere proficiatur cum Schenkelio[1]) consentio. Sed comparatione singulorum codicum optimorum tam sublimi, ut et ea, quae titivillicia esse videntur, non perhorrescamus, ad constituendam orationem Xenophonteam multum conferri posse existimo. Itaque in animo habeo codicem C, quem primum locum inter libros obtinere plerique recentiores editores consentiunt, cum lectionibus codicum D, A, B ita comparare, ut eos locos Anabasis, quibus in codice C aliquid correctum aut rasum est, diligentius exquiram atque ponderem. Atque initio in animo erat disputare de omnibus Xenophontis anabasis libris. Sed cum viderim et longioris illud quaestionis fore et caute exquirendum esse et a primo libro reliquos libros illustrari, pedetemptim disserere constitui atque illam disputationem in aliud tempus reservare.

Illa comparatione opinor cum nonnullos locos emendari tum cognosci posse, quae ratio intercedat inter codicem C et eos codices, qui genuinam magis praebent scriptoris orationem. Siglo autem Cpr. in nostra commentatione notabimus ea, quae a librario ipso codicis C scripta sunt anno fere 1320, siglo Ccorr. illa, quae a correctore quodam codici C admota sunt. Quae utrum ab eodem correctore an a compluribus, utrum eodem tempore an alia aliis temporibus sint scripta, difficile est discernere, praesertim cum viri doctissimi, Fredericus Duebner et Arnoldus Hug, qui in recentissima collatione codicis C conficienda summa diligentia oculis perlustraverunt verba codicis ipsa, dissentiunt[2]). De qua re quid ex comparatione lectionum equidem conicere audeam, infra exponam.

Primum quae ratio intercedat codici Cpr. cum codice D illustrare liceat. — In maiore libri primi parte codicem Cpr. consentire cum codice D iam Rehdantz[3]) cognovit, sed non

[1]) Schenkl, Xenophontische Studien. 1. Heft: Beiträge zur Kritik d. Anabasis. A. d. Sitzungsberichten d. k. k. Akademie d. Wiss. Wien 1869. Gerold's Sohn. p. 565.

[2]) cf. Arnoldus Hug, commentatio de Xenophontis Anabasis codice C. Turici 1878. p. 8 sq.

[3]) Kritischer Anhang zu Xenophons Anabasis. Berlin 1865. p. 11.

definivit, usque ad quem locum libri congruerent. Quod ut statuamus, perlustrare libet singula capita ita, ut lectionem codicis Cpr. (D) et lectionem ceterorum librorum (imprimis Ccorr.) proponamus:

Cpr. D.	Varia lectio (imprimis Ccorr.):
1, 8: τὴν ἐπιβουλὴν (τῇ Cpr.)	τῆς ἐπιβουλῆς
1, 9: τῇ κατ' ἀντιπέρας (Cpr. nunquam habet ι subcriptum)	τῆς κατ' ἀντιπέρας
1, 11: om.	αὐτῷ
2, 1: ἐνταῦθα καὶ	ἐνταῦθα στράτευμα καὶ
2, 1: λαβόντα τοὺς ἄλλους (Hug etiam in cod. Cpr. ἄλλους legit)	λαβόντα τοὺς ἄνδρας
2, 5: ἤκουσε Τισσαφέρνους	ἤκουσε παρὰ Τισσαφέρνους
2, 5: ἐζευγμένη πλοίοις.	ἐζ. πλοίοις ἑπτά.
2, 8: ἐκδείρειν	ἐκδεῖραι
2, 13: ἐλαύνει	ἐξελαύνει
2, 18: ἔφυγεν ἐπὶ τῆς ἁρμαμάξης	ἐφ. ἐκ τῆς ἁρμαμάξης
2, 21: ἔμεινεν	ἔμειναν
2, 22: περιεῖχεν	περιέχει
3, 1: ἄρξαιντο (quod Hug in Cpr. legit.)	ἤρξατο
3, 2: ἐξέφυγε μὴ καταπετρωθῆναι	ἐξέφυγε τὸ μὴ κ. (B) τοῦ μὴ κ. (ceteri et Ccorr.) τοῦ κ. (E)
3, 3: κατεθέμην ἐμοὶ οὐδὲ	κ. ἐμοὶ ἀλλ' οὐδὲ
3, 6: πείθεσθαι	πείθεσθαι οὐδὲ ἕπεσθαι
3, 9: τῶν βουλομένων Cpr. (sine τῶν D)	τὸν βουλόμενον
3, 11: om.	ὅπως ἀσφαλέστατα μένωμεν
3, 12: πεζὴν καὶ ναυτικὴν καὶ ἱππικὴν	πεζὴν καὶ ἱππικὴν καὶ ναυτικὴν
3, 14: ἐλθόντα δὲ Κῦρον αἰτεῖν	ἐλθόντας δ. Κ. αἰτεῖν
3, 16: τὸν στόλον	στόλον
3, 16: ποιουμένου	μὴ ποιουμένου
3, 16: προκαταλιπεῖν (Cpr. λαμβάνειν in rasura 4 litterarum loco verbi λιπεῖν)	προκαταλαμβάνειν
3, 17: ταῖς τριήρεσι	αὐταῖς ταῖς τριήρεσι
3. 17: ὅθεν οὐκ ἔσται	ὅθεν οὐχ οἷόντε ἔσται
3, 19: λέγοι (Cpr. loco οι rasura 3 litterarum)	λέγῃ
4, 2: ἡγεῖτο δ' αὐταῖς	ἡ. δ' αὐτῶν
4, 3: ἐπὶ νεῶν	ἐπὶ τῶν νεῶν
4, 7: εὔχοντο ὡς δειλοὺς	εὐχ. ὡς δήλους
4, 9: χάλαν, χαλᾶν	χάλον
4, 13: τί μὲν δὴ	τὸ μὲν δὴ πολὺ
5, 1: ἅπαν ὁμαλὲς ὥσπερ	ἁ. ὁμαλὸν ὥσπερ
5, 2: πλεῖστοι ὄνοι ἄγριοι	πλεῖστοι μὲν οἱ ἄγριοι ὄνοι
5, 2: διαδεχόμενοι	διαδεχόμενοι τοῖς ἵπποις
5, 3: τοῖς ποσὶ ... ταῖς πτέρυξιν	τοῖς μὲν ποσὶ ... ταῖς δὲ πτέρυξι

Cpr. D.	Varia lectio (imprimis Ccorr.):
5, 3: ὡς πέρδικες	ὥσπερ πέρδικες
5, 5: παρὰ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν	τὸν Εὐφρ. ποταμόν
5, 7: γοῦν	γλοῦν
5, 9: ὅσῳ (ὅσω Cpr.) θᾶττον ἔλθοι	ὅσῳ μὲν ἂν θᾶττον ἔλθοι
5, 9: τῇ (τῆ Cpr.) βασιλέως ἀρχῇ (ἀρχῆ Cpr.)	ἡ βασιλέως ἀρχὴ (A: τοῦ βασ. ἀρχὴ)
6, 2: αὐτῷ (αὐτῶ Cpr.) δοίη	εἰ αὐτῷ δοίη
6, 2: πολλοὺς αὐτῶν ἀνέλοι (Hug legit in Cpr. ἂν ἕλοι)	πολλοὺς αὐτῶν ἕλοι
6, 4: περσὰς D πέρσ... Cpr.	περσῶν
6, 6: περὶ ὀρόντα	περὶ ὀρόντου
6, 7: ἔφη ὀρόντας	ἔφη ὁ ὀρόντας
6, 8: ἔφη ὀρόντας	ἔφη ὁ ὀρόντας
6, 9: τοὺς ἐθέλοντας	τοὺς ἐθέλοντας φίλους
7, 3: καὶ ἧς ὑμᾶς ἐγὼ εὐδαιμονίζω	καὶ ὑπὲρ ἧς ὑμᾶς ἐγὼ εὐδ.
8, 14: προσήει (προσήει Cpr.)	προήει
8, 19: ἐν τῇ τάξει (τῆ Cpr.)	ἐν τάξει
8, 22: ἡγοῦνται	ἡγοῦντο
9, 12: αὐτῷ ἐνί γε (αὐτῶ Cpr.)	αὐτῶν ἐνί γε
10, 5: πέμποιε	πέμποιεν

Si locos quos protuli perspexeris atque enumerando percensueris, intelleges mirum in modum libros Cpr. et D in prioribus sex capitibus consentire, in posterioribus quattuor capitibus illam consensionem non iam inesse; in priore enim illa parte primi libri sunt loci quadraginta quattuor, ubi Cpr. idem quod D exhibet, in altera parte sex loci. Quae cum ita sint, iis locis, ubi Cpr. in prioribus sex capitibus litura corruptus est, nostro iure codici Cpr. ea admovemus, quae in codice D legimus. Itaque 3, 16 in codice Cpr., cui manus correctoris addidit λαμβάνειν, λιπεῖν restituendum est: nam illud λαμβάνειν in rasura quattuor litterarum est; quid de absurdo isto verbo λιπεῖν iudicandum sit, infra (p. 9) exponam. — Atque 3, 19 ubi Ccorr. postremam litteram verbi λέγῃ in litura trium fortasse litterarum praebet, opinor recipiendam esse lectionem codicis D λέγοι. Etiam 6, 4, ubi Cpr. πέρσ..., Ccorr. περσῶν habet, cum codice D πέρσας legendum censeo. Itaque non quadraginta quattuor, sed quadraginta septem locis priorum capitum sex codex Cpr. cum codice D consentit.

Quibus de locis, ubi codex Cpr. et D in prioribus sex capitibus idem praebent, quid iudicandum sit, utrum lectio horum librorum an reliquorum maximeque codicis Ccorr. praeferenda sit, nunc disputandum est.

Servari non posse existimo lectionem codicum Cpr. et D his locis: 2, 8 ἐκδείρειν reiciendum esse omnes editores recentiores praeter Dindorfium (ed. Ox.) consentiunt. Si consideraveris de actione praeterita et hic agi et in proximo κρεμάσαι, Xenophontem scripsisse ἐκδείρειν parum probabis. 3, 9: τῶν βουλομένων absurdum est. 3, 11: omissio verborum ὅπως ἀσφαλέστατα μένωμεν vindicari non potest. 3, 12: ordinem verborum πεζὴν καὶ ναυτικὴν καὶ ἱππικὴν vitio laborare apparet. 3, 14: ἐλθόντα probari non potest; item 3, 19: λέγοι, 4, 13: omissio verbi πολὺ, 5, 3: omissio verborum μὲν-δὲ, 5, 3: omissio particulae περ, 5, 7: γοῦν, 6, 2: omissio coniunctionis εἰ. Quo loco rasura codicis Cpr. quae invenitur haud scio an

efficiatur ut vestigia lectionis genuinae colligamus. In Cpr. enim aliquid rasum est post verbum *αὐτῷ*, cuius verbi litterae *αὐ* et *ῷ* ipsae sunt in rasura; D omittit *εἰ*. Vere igitur iudicasse existimo Breitenbachium Xenophontem ipsum *αὐτῷ εἰ δοίη* scripsisse. 6, 9: verbum *φίλους* errore manifesto omissum est. Sed hoc quoque loco lectio codicum Cpr. et D utilis esse ad investigandam veram lectionem videtur. Pronomen *οὗτος* saepe moleste illatum aut repetitum esse Dindorfius in editione Lipsiensi p. XVIII memorat; hoc loco a verbo *τούτους* verbum *φίλους* in communi archetypo codicum Cpr. et D submotum esse videtur[1]). Genuinam autem lectionem *φίλους* in archetypo reliquorum codicum vel fuisse vel, ut Hug arbitratur, restitutam esse existimo, praesertim cum in codice Vindobonensi *τούτους* supra versum additum esse Schenkl testetur. Itaque *τούτους* hoc loco delendum censeo.

Locis quos attuli lectio codicis Cpr. quamquam probari non potest, attamen utilis est ad reperiendam lectionem genuinam. Aliis locis lectio codicum Cpr. et D plus valere mihi videtur ectione ceterorum codicum, tametsi concedo plane disceptari non posse, utrum his locis legendum sit quod D Cpr. praebent an quod ceteri codices habent.

Velut 2, 5 verbum *ἑπτά* suspectum habeo, quia septem naves ad transeundum Tigrin flumen non suffecisse arbitror. Nam II, 4, 13 Graeci canalem transeunt ponte septem navigiis facto, 2, 4, 24 Tigrin ponte triginta septem navibus exstructo. Si reputaveris et canalem sine dubio angustiorem fuisse Maeandro flumine et Tigrin flumen eo loco, quo Graeci transibant, quingentos fere pedes latum esse[2]), concedas septem navigia non suffecisse; nam pontis, quo Tigris flumen iungebatur, navigia tredecim fere pedes distabant; pontis autem, quem in Maeandro flumine fecerunt, singula navigia a singulis navigiis duodeviginti pedes afuissent, quod spatium nimis longum fuisse facile intellegi potest.

2, 13: Cpr. et D *ἐντεῦθεν δὲ ἐλαύνει* praebent, quod Rehdantz probat, quamquam ceteris locis semper fere a Xenophonte *ἐντεῦθεν ἐξελαύνει* scriptum est. Rehdantzii sententiae assentior; nihil enim est, quod Xenophontem hoc loco immutatio verborum non delectaverit. Etiam 7, 14: *ἐντεῦθεν δὲ ἐξελαύνει* scribit, cum ceteris locis *δὲ* non habeat.

2, 21 cum Rehdantzio arbitror *ἔμεινεν* melius esse quam *ἔμειναν* propter verbum *διό*. Quod verbum Cyrum ipsum auctorem manendi fuisse significare videtur.

4, 3 lectio codicum Cpr. et D *ἐπὶ νεῶν* (reliqui *ἐπὶ τῶν νεῶν*) sensum haberet Cheirisophum non terra sed navibus advenisse; quod Xenophontem scribere non potuisse non intellego.

5, 1: *ἅπαν ὁμαλὲς* D et Cpr. exhibent. Ccorr. pro elutis litteris postremis *ὁμαλὸν* praebet. Hellen. IV, 6, 7 scripta exstant *κατεβίβασαν δὲ εἰς τὸ ὁμαλὲς τὸ στρατόπεδον;* etiam Anab. IV, 6, 12: *ὁμαλὲς* B. C. E. habent. — 5, 5 pro *τὸν Εὐφράτην ποταμὸν*, quod ceteri, habent A, B, C, D, E *παρὰ τὸν Εὐφράτην*. Quamquam omnes editores codices deteriores sequuntur, tamen non dubito meliorum codicum scripturam vindicare; morem enim loquendi apud Graecos usitatum, quod schema *ἀπὸ κοινοῦ* grammatici dicunt, hoc loco usurpatum esse puto ita, ut *τὸν Εὐφράτην ποταμὸν* spectet *πρόσω* ad *παρὰ* et *ὀπίσω* ad *ἔχων*. Nam nunquam fere Graecos vel Latinos fortuitum eiusdem vocabuli concursum admittere Doederlein vere iudicat

---

[1]) cf. Schenkl l. l. p. 567 et Hug in praefatione critica editionis Lipsiensis.

[2]) quadringentos septuaginta pedes Tigrin latum fuisse efficio ex libro Caroli Anthon, The Anabasis of Xenophon. New York 1870. p. 377: Ainsworth, however, remarks, that in Iune, 1836, he found the bridge at Bagdad, lower down the river, to be two hundred and fifty-three paces in length and supported by thirty-five boats acting as pontons (Travels p. 114).

neque Graecos pronomine *αὐτός* uti, ubi vocabulum semel positum bis intellegendum sit[1]). Ad hunc Graecorum usum exempla invenies apud Kuehnerum (Grammat. maxim. § 597 b).

5, 9 eadem de causa cum melioribus codicibus Cpr. D. V. *τῇ βασιλέως ἀρχῇ* scribendum esse opinor ita, ut dativus adiungatur prioribus verbis *προσέχοντι τὸν νοῦν*, quae conformatio verborum simplicior mihi videtur esse, et ad proxima verba *ἰσχυρὰ οὖσα* audiatur nominativus *ἡ βασιλέως ἀρχή*. *τῇ βασιλέως ἀρχῇ* probant Schenkl, Rehdantz, Breitenbach.

6, 7 et 6, 8 omittunt D. Cpr. articulum *ὁ* ante *ὀρόντας*. Cum articulus nominibus propriis et adiungi et non adiungi possit, dubito, num D. Cpr. meliorem lectionem habeant.

Venio ad aliud genus locorum. Cum Rehdantzio enim censeo, nonnullis locis, quibus Cpr. et D aliquid omittunt, a librario archetypi codicum Ccorr. et reliquorum deteriorum codicum verba addita esse, ut loci fierent faciliores ad intellegendum. Ut 1, 11 *αὐτῷ* Rehdantzius[2]) non probat, quam in sententiam ierunt Hug, Sauppe, Schenkl, Breitenbach.

Eodem modo 2, 5 censeo *παρὰ*, quo verbo carent D et Cpr., alienis verbis additum esse; *ἀκούειν τινός* enim i. e. audire ab aliquo legitur 1, 8, 13; 1, 10, 5; 4, 1, 3, quibus omnibus locis libri consentiunt. Etiam 2, 5, 16, ubi *ἀκούειν τινός τι* invenies, omnes codices idem habent. Exemplum, quod Kuehnerus (Gramm. maxim. § 417 A. 8) affert, de hoc loco (2, 5), quo lectio dubia est, deprompsit.

De 3, 6 ad sententiam Breitenbachii et Rehdantzii accedo, qui cum Cpr. et D sententiam Bornemanni secuti *οὐδὲ ἕπεσθαι* secluserunt. Recte iudicat Breitenbach etiam Comment. II, 2, 11 damnare meliores libros *μήθ' ἕπεσθαι* ante *μηδὲ πείθεσθαι*, quae verba saepius a librariis permutentur. Hoc loco *ἕπεσθαι* interpretandi causa margini adscriptum, deinde addito *μηδὲ* in verborum ordinem receptum videri.

3, 17 existimo *αὐταῖς* ante *ταῖς τριήρεσι* a grammatico quodam, qui nimiam subtilitatem ostentare volebat, additum esse. Nam apparet triremes (*τριήρεσι*) esse Cyri, naves onerarias (*πλοῖα*) esse Graecorum. Eodem modo triremes, quibus Cyrus persequi volebat Graecos, et naves onerariae, quibus Graeci fugiebant, discernuntur 4, 7: *καὶ Ξενίας καὶ Πασίων — ἐμβάντες εἰς πλοῖον — ἀπέπλευσαν* et nonnullis versibus infra: *διῆλθε λόγος, ὅτι διώκει αὐτοὺς Κῦρος τριήρεσι·* et 4, 8: *ἔχω γὰρ τριήρεις ὥστε ἑλεῖν τὸ ἐκείνων πλοῖον*, cf. ad hunc locum Rehdantz l. l. p. 45 et Breitenbachii commentarium.

3, 17: *οἰόντε* ab interpolatore additum esse cum plurimis recentioribus editoribus (Hug, Breitenbach, Rehdantz, Schenkl) censeo; simplicius *οὐκ ἔσται ἐξελθεῖν*, quod Cpr. et D habent, praeferendum est.

Restat, ut de iis locis agam, quibus quin meliora praebeant Cpr. et D, deteriora Ccorr. et reliqui, dubitari non posse mihi videtur.

Ut 1, 8: Cpr. et D habent *τὴν ἐπιβουλὴν ᾐσθάνετο*, ceteri perverse *τῆς ἐπιβουλῆς*.

1, 9: lectio codicum Cpr. et D *ἐν Χεῤῥονήσῳ τῇ κατ' ἀντιπέρας* pro *τῆς κατ' ἀντιπέρας*, quod est in Ccorr. et reliquis, restituendum est.

2, 1: *τὸ Ἑλληνικόν· ἐνταῦθα παραγγέλλει* Cpr. et D habent. Lectionem Ccorr. *το Ἑλληνικὸν ἐνταῦθα στράτευμα· παραγγέλλει κτλ'* apparet inde ortam esse, quod librarius quidam, qui sententiam magis perspicuam facere volebat, verbo *τὸ Ἑλληνικόν* verbum *στράτευμα* addidit.

---

[1]) Doederlein, de brachylogia sermonis Graeci et Latini. Erlangae 1831. p. 5 sq.
[2]) Kritischer Anhang zu Xenophons Anabasis. Berlin 1865. p. 42.

2, 1: *λαβόντα τοὺς ἄλλους* alienis verbis adulteratum esse Dindorfio (ed. Lips. p. XIX) assentiri non possum, praesertim cum Hug confirmet suis se oculis in codice Cpr. legisse verba *λαβόντα τοὺς ἄλλους*, quae verba etiam in codice D sunt.

2, 18: est in codice Cpr. et D *ἐπὶ τῆς ἁρμαμάξης*, in ceteris *ἐκ τῆς ἁρμαμάξης*. Dindorfius Oxon. p. VI repetitum esse *ἐκ* ex proximis verbis *ἐκ τῆς ἀγορᾶς* vere iudicat. Nam sententia verborum haec est: Etiam Cilissa, quanquam harmamaxa eius quattuor rotis instructa ad fugiendum non satis idonea erat, tamen fugiebat et vehiculi mole turbam forensem fugabat.

3, 1: *ἄρξαιντο* habent D et Cpr. (de lectione codicis Cpr. cf. Hug commentatio de Xenoph. Anab. Turici 1878 p. 12 et spec. lithogr. 2), quae lectio praeferenda est lectioni *ἤρξατο* ceterorum codicum; itaque Rehdantz primus recepit *ἄρξαιντο*. Verba enim *ἐπεὶ ἄρξαιντο* significant: quotiescunque procedere incipiebant (Clearchus eiusque iumenta). Optativo iterativo, qui optime cum imperfecto *ἔβαλλον* convenit, demonstratur, qua pertinacia Clearchus egerit, quem durum semper et saevum fuisse Xenophon infra (II, 6, 12) memorat.

3, 2: *ἐξέφυγε μὴ καταπετρωθῆναι* cum codice Cpr. et D praeferas lectioni ceterorum, si contuleris, quod Rehdantz in editione sua ad III, 5, 11 affert. Kuehnerus in Grammatica § 479, 1 lectionem deteriorum codicum, de qua dubitari saltem potest, in numero exemplorum refert, qua in re iam supra (p. 7) offendimus.

3, 3: Cpr. et D habent *κατεθέμην ἐμοὶ οὐδὲ*, ceteri *κατεθέμην ἐμοὶ ἀλλ' οὐδὲ*. Non sine causa Breitenbach censet absurdam sententiam esse: non in commodum meum verti, immo (seu profecto) ne per voluptatem quidem absumpsi. Dicendum certe fuisse: *οὐ καθηδυπάθησα ἀλλ' οὐδὲ εἰς τὸ ἴδιον κατεθέμην ἐμοί*. Omisso *ἀλλ'* pro simplici *neque* accipi posse *οὐδέ*. Verbum *ἀλλ'* ex proximis *ἀλλ' εἰς ὑμᾶς* repetitum esse facile intellegitur.

3, 16: *τὸν στόλον* in codicibus D, Cpr., A, B est. Ceteri absurdum *στόλον* habent.

In eadem paragrapho ante *ποιουμένου* omittunt Cpr. et D *μή*, quod in ceteris libris scriptum exstat. Delendum esse *μὴ* iam Kruegerus [1]) his verbis ostendit: „*ὥσπερ πάλιν τὸν στόλον Κύρου μὴ ποιουμένου*. Weisk. interpretatur: „quasi Cyrus non retro iter per mare facturus sit. Nimirum, inquit, iidem, qui navibus ad ipsum venerunt, navibus redituri sunt, adeo ut ipse his navibus egeat." Haec igitur explicatio oratorem opinantem facit, si Graeci abiissent, nec Cyrum iter perrecturum esse quod recte sumi probaverit aliquis verbis: *ᾧ λυμαινόμεθα τὴν πρᾶξιν*, quae quidem a viris doctis convertuntur: „cuius inceptum irritum reddimus", (dessen Unternehmen sie vereitelt hätten. Halbk.) At non hic verborum sensus est, sed potius: cuius expeditioni copiarum parte detracta nocemus. Nec de Cyri reditu se cogitasse eo significat orator, quod quo ille consilio expeditionem susceperit se ignorare simulat § 18 s. Nam si Cyrus non ad regem debellandum proficiscebatur, vix satis causae esse poterat, cur a Graecis desertus reverteretur. Ac si Cyrum reversurum esse Graeci sumpsissent, haud dubie aliquis ut una cum ipso reverterentur suasisset. Itaque hic sensus sit necesse est: *quasi Cyrus rediturus* vel *iter non perrecturus* (ideoque non ipse navibus opus habiturus) *esset*. V. 4, 5. Sed cum *πάλιν* neque *deinceps* esse possit, quemadmodum Leonclavius vertit, neque *posthac*, quemadmodum Zeunius, aut hoc vocabulum aut *μὴ* videtur eiciendum esse. Equidem *μὴ* damnaverim, cum si *πάλιν* a Xenophonte non profectum esset, collocationem potius hanc exspectarem: *ὥσπερ μὴ ποιουμένου τὸν στόλον κ*. Quomodo illud ortum sit facile explicari

---

[1]) Krüger, De authentia et integritate anabaseos Xenophonteae. Halis Saxonum 1824. p. 38 sq.

potest, si quem tale quid supra scripsisse statuas: *ὥςπερ ἐπανελευσομένου καὶ τὸν στόλον μὴ περανοῦντος*. Caeterum ut *ποιουμένου* cum Castal. et Mureto in *ποιησομένου* mutetur non opus est, cum Atticum futurum esse possit. V. Buttmanni Gr. max. § 95 n. 16. Cf. V, 5, 22: *ἢν μὲν ἀνάγκη ᾖ πολεμήσομεν καὶ ἀμφοτέροις· ἂν δὲ δοκῇ ἡμῖν καὶ φίλον ποιούμεθα τὸν Παφλαγόνα*. Sic enim ibi legendum videtur. Dubito, an huc referam I, 8, 18. Magna autem in hoc genere cautione opus est, cum vividum Graecorum ingenium facile instans tempus ita praesenti annexuerit, ut saepe aoristo praesentis (?) usi sint ubi nos futurum exspectemus Cf. II, 5, 18; VII, 3, 8; VII, 1, 31. 6, 31 etc." Hactenus Krueger. Viri doctissimi sententiam probo. Participium autem praesentis pro futuri participio positum esse mihi persuadere non possum. Sed praesens in enuntiatione, qua aliquid ironice dicitur, suo loco esse arbitror. cf. Comm. II, 6, 36. (Etiam Latinorum hic mos loquendi est: cf. Cic. Div. in Caec. 4). Itaque vertas: quasi Cyrus e Cilicia reducat in Lydiam ita ut navibus non egeat.

3, 16: D *προκαταλιπεῖν* habet, in Cpr., ubi rasura in versu est, *λαμβάνειν* supra versum additum. Sagacissime censeo Rehdantzium odoratum esse codicem Cpr. hoc loco *προκαταλαβεῖν* habuisse, quod verbum in cod. D (et in V) corruptum esse in *προκαταλιπεῖν*.

4, 2: Cpr. et D *δ' αὐταῖς*, ceteri *δ' αὐτῶν* habent, Rehdantz (l. l. p. 11) *δ' αὐταῖς* praefert ratus Graecos barbaro classis praefecto oboedituros non fuisse, pro viae duce tantum Tamum illos habuisse. Quam sententiam refellere verba *ἔχων ναῦς ἑτέρας Κύρου πέντε καὶ εἴκοσιν* Breitenbach censet, ex quibus appareat Lacedaemoniorum quoque navium Tamum habuisse imperium. Equidem opinor illa verba nihil aliud significare nisi Tamum praeter naves Lacedaemonias, quarum maris viaeque dux erat, naves Persarum secum habuisse, quarum praefectus erat. Nam Lacedaemoniorum classis praefectum Pythagoram fuisse ex superioribus verbis intellegi potest.

4, 7: habet Cpr. et D *εὔχοντο ὡς δειλοὺς ὄντας*, ceteri absurdum *δήλους*.

5, 2: *πλεῖστοι ὄνοι ἄγριοι*, quod Cpr., D, A habent, melius est quam *πλεῖστοι μὲν ὄνοι ἄγριοι*, quod Ccorr., B, E, sive *πλεῖστοι μὲν οἱ ἄγριοι ὄνοι*, quod ceteri. Haec enim est prope constans atque legitima ratio sermonis Graeci, ut in bipartita appositione prior pars particula *μέν* careat. cf. Kuehner Gramm. maxim. 520, A. 1.

5, 2: *τοῖς ἵπποις*, quod D et Cpr. omittunt, ceteri habent, interpolatorem olent. Etiam Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* omittit *τοῖς ἵπποις*.

5, 9: est in codice Cpr., D, V *ὅσῳ* (Cpr. *ὅσω*) *θᾶττον ἔλθοι*, in ceteris *ὅσῳ μὲν ἂν θᾶττον ἔλθοι*. Dindorf, Cobet, Rehdantz, Hug, Schenkl *ἄν* cum Cpr., D, V omittunt, cum *μέν* teneant. Etiam *μέν* delendum esse cum Breitenbachio consentio: „quia sententia plena esset atque integra, etiamsi deessent *ὅσῳ δὲ — στράτευμα*. Nam prius membrum sufficit ad explicandam properationis causam. Habebat igitur Xenophon nondum in animo oppositam sententiam, cum diceret *ὅσῳ θᾶττον κτλ'*. Exempla omissi *μέν* in anaphora habes V, 6, 9. VI, 5, 19. Cyrop. VI, 2, 14." Si addideris, quod Kuehner, Gramm. maxim. 531, 3 u. 4 de particula *μέν* omissa affert sententiae Breitenbachii assentiri et codicum Cpr., D, V lectionem praeferre non dubitabis.

6,2: ceteri codices, *πολλοὺς αὐτῶν ἕλοι* habent, *ἀνέλοι* habere D et Cpr. Dindorf in editione Oxon. affert. Rehdantz coniecit genuinam lectionem fuisse *ἂν ἕλοι*, quod Hug in Cpr. se legisse affirmat; hoc enim loco duas correctiones in C. se excepisse, quarum prior *ἀνέλοι* dedisset, altera *ἄν* linea transversa delevisset, ut restitueretur *ἕλοι* reliquorum librorum.

6, 4: habet D πέρσας, Cpr. περσ... cet. περσῶν. Jam supra (p. 5) de hoc loco egi.

6, 6: Cpr. D exhibent δρόντα, A ὀρόντα, ceteri δρόντου. Lectionem Cpr. et D meliorem esse apparet.

Haec habui quae de singulis locis exponerem, quibus in sex prioribus capitibus Cpr. et D eadem aut simillima habent. Quibus locis saepissime codicem Cpr. et D meliora habere, C corr. cum ceteris libris deteriora demonstrasse mihi videor; ubi vero lectiones codicum Cpr. et D vindicari non possunt, hi semper fere aliquid omittunt, perraro lectionem vere perversam praebent.

Restat, ut breviter explicem, quid iudicandum sit de paucis locis, quibus a capite septimo usque ad extremum librum primum Cpr. et D consentiunt.

Lectio codicum Cpr. et D nobis aptior videtur 7, 3, ubi ante ἧς ὑμᾶς omittunt ὑπὲρ, quod Rehdantz interpretamentum esse censet; 8, 22 ἡγοῦνται, quod scriptum exstat in Cpr. et D, praeferendum est imperfecto ἡγοῦντο, quod reperitur in ceteris; 9, 12 αὐτῷ (A, Cpr., D) scribendum, αὐτῶν ceterorum absurdum est.

Dubitari potest his locis: 8, 14 utrum προσῄει (Cpr. D) an προῄει (ceteri), 8, 19 utrum ἐν τῇ τάξει (A, B, D, Cpr.) an ἐν τάξει (ceteri), 9, 31 utrum ἀπέθανον μαχ. (A, B, Cpr., D) an μαχ. ἀπέθανον scribendum sit. Ut mihi quidem videtur, recipiendum est quod meliores codices exhibent. Uno loco deteriora praebet Cpr. D: 10, 5, ubi πέμποιε A, Cpr., D—L praebent, ceteri πέμποιεν.

Quoniam demonstravi iis locis, quibus liber Cpr. cum D consentit, saepissime lectionem optimam exstare, dicendum est de iis locis primi libri, quibus lectio Cpr. abhorret a meliore lectione codicis D aliorumque codicum. Quibus ex locis effici potest librarios et codicis Cpr. et codicis D (hunc usque ad finem capitis sexti) bona archetypa habuisse, ex quibus libros suos describebant. Sed opinor librarium codicis Cpr. et parum diligentem et imperitum fuisse neque ita ex archetypo descripsisse librum suum, ut oculis perlustraret verba ipsa, sed ita ut alter quidam ei dictitaret singula verba.

Librarium et parum diligentem et imperitum fuisse inde effici potest, quod permultis locis liber Cpr. aliquid omittit. Velut omittitur 1, 1: δὲ; 2, 1: ὡς; 3, 3: ἀλλ' εἰς ὑμᾶς ἐδαπάνων. καὶ πρῶτον μὲν πρὸς τοὺς Θρᾶκας; 3, 12: φίλος; 4, 1: in fine verbi ἴσους littera ς, 4, 4: πέτραι ἠλίβατοι· ἐπὶ δὲ τοῖς τείχεσιν ἀμφοτέροις ἐφεστήκεσαν; 4, 5: παρέλθοιεν; 5, 1: πέντε ante παρασάγγας; 5, 2: δὲ post ἁπαλώτερα; 5, 13: τὸ ante ἑαυτοῦ; 5, 13: μὲν post καὶ τοὺς; 6, 3: καὶ ante πίστεως; 6, 7: ὦ ante Ὀρόντα; 6, 7: ὁ post ὡμολόγει; 6, 9: littera ν in verbo μὲν; 6, 10: prior ς in προςθέσθαι; 7, 1: littera ς in verbo τοὺς; 7, 2: ἀπήγγελον Κύρῳ περὶ τῆς βασιλέως; 7, 6: ἡ ante ἀρχὴ et ante πατρῴα; 8, 3: τὰ παλτὰ; 8, 9: εἶναι; 8, 14: τῷ ante καιρῷ; 8, 18: περ post οἷον; 9, 4: τοὺς ante τιμωμένους; 9, 6: φανερὰς post ὠτειλὰς; 9, 7: περὶ; 9, 16: αὐτῷ; 9, 22: ὧν; 9, 23: κόσμον; 9, 25: πολλοῦ; 10, 3: ἀμφὶ; 10, 5: ν in fine verbi πέμποιεν; 10, 12: μὴ; 10, 13: οἱ ante ἱππεῖς; 10, 15: ὁ ante λύκιος; 10, 17: οὖν. Quibus ex locis intellegi potest librarium codicis Cpr. saepenumero neglegentia quadam socordiaque adductum vel litteram vel verbum vel compluria verba omisisse. Cavendum igitur est, ne existimes ubi Cpr. caret vel littera vel verbo vel verbis, quae aut codex D aut omnes aut plerique reliqui praebent, auctoritatem libri Cpr. plus valere quam ceterorum. De plurimis eius modi locis consentiunt recentiores editores, de omnibus non consentiunt. Velut 4, 5: ceteri omnes habent καὶ βιασάμενοι τοὺς πολεμίους παρέλθοιεν, Cpr. exhibet βιασάμενος et omittit παρέλθοιεν. Quare Cobetus scripsit ἔξω τῶν πυλῶν, βιασόμενος

τοὺς πολεμίους εἰ φυλάττοιεν, Rehdantz in commentatione critica p. 13 *ἔξω τῶν πυλῶν καὶ βιασάμενος τοὺς πολεμίους παρέλθοι, εἰ φυλάττοιεν*. In editionem autem tertiam Anabasis Cobeti coniecturam recepit. Sed vere mihi Breitenbach iudicare videtur verbum *βιασάμενος* profectum esse ab eo, qui verbi *παρέλθοιεν* subiectum, totum scil. exercitum, non intellexerit. Verbum autem *παρέλθοιεν* in codice Cpr. desiderari mirum tibi non videbitur, si reputaveris saepissime librarium codicis Cpr. aliquid omisisse.

Ea ipsa de causa 9, 4 legendum esse puto *τοὺς τιμωμένους*, quamquam liber Cpr. *τοὺς* omittit, nam articulum non semel librarium omisisse ex exemplis, quae supra attuli, satis intellegas. Etiam 9, 6 arbitror verbum *φανερὰς* servandum esse, quamquam omnes editores recentiores verbum delent. Nam id ipsum, quod cicatrices manifestae erant ita, ut ab omnibus viderentur, exprimendum erat.

Eodem referendum est 9, 6 *κατέκανε*, ubi ceteri omnes *κατέκτανε* exhibent.

Sed de duobus locis, ubi aliquid omissum esse in Cpr. nonnulli editores putant, horum sententiae accedere non possum, quod verborum sententia illis locis tam aperta atque perspicua est, ut dubitari possit, num, si fortuito intercidisset vel littera vel verbum, fieri potuerit, ut in oratione ratio atque consilium inesset. Ut 7, 18, ubi ceteri libri habent *τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας*, in C *τῆς* post *ἐκείνης* et ς post *ἡμέρᾳ* additum est manu secunda, ut in Cpr. fuerit *τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης ἡμέρᾳ*. Hoc scribunt Rehdantz, Hug, Schenkl, Cobet, Breitenbach et comparant Her. VIII, 54: *ἀπὸ δὲ τῆς πέμψιος τοῦ κήρυκος δευτέρῃ ἡμέρῃ*. Arrian. Anab. 1, 6, 9, II, 23, 1: *τρίτῃ ἀπὸ ταύτης ἡμέρᾳ*.

Nec aliter iudicandum est de loco 10, 4, ubi Cpr. solus praebet: *οἱ μὲν διώκοντες τοὺς καθ' αὐτοὺς ὡς πάντα νικῶντες, οἱ δ' ἁρπάζοντες ὡς ἤδη πάντα νικῶντες*. Ceteri codices pro *πάντα* priore loco *πάντας*, altero loco *πάντες* scribunt. Consentio cum Rehdantzio (l. l. p. 6) bis *πάντα* scribendum esse. Nam primum persuadere mihi non possum librarium bis ς fortuito omisisse hoc loco. Deinde lectio ceterorum librorum quamquam polita est, tamen arcessita mihi videtur esse. Tum arbitror magis legitime atque acutius Xenophontem dicturum fuisse altero loco *ὡς ἤδη πάντων νικώντων*. Postremo non tam a scriptore dicendum erat alteros putasse a se omnes victos, alteros se omnes victores esse quam utrosque existimasse se omnino et plane victores et ea ipsa re commotos esse, ut alteri Persas persequerentur alteri Graecorum castra diriperent. Altero autem loco *ὡς πάντα νικῶντες* delendum esse, quod Schenkelio (l. l. p. 620) placet, putare non possum; nam perraro accidere atque mirum esse Xenophon dicere voluit, quod utrique pugnantes existimarent se pugna alteros plane vicisse.

Sed non solum eo vitio laborat codex Cpr., quod librarius multa male omittebat, sed etiam quod menda libro saepissime admovebat. Velut mendose scripsit 1, 5: *διατιθεῖσα* pro *διατιθεὶς*; 2, 7: *βασιλεία* pro *βασίλεια*; 2, 9: *σώσης* pro *σῶσις*; 2, 12: *συννέσιος* pro *συεννέσιος*; 2, 25: *ἔφθασαν* pro *ἔφασαν*; 3, 1: *ὑπόπτευον* pro *ὑπώπτευον*; 3, 9: *τῶν βουλομένων* pro *τὸν βουλόμενον*; 3, 17: *ἔσεσθαι* pro *ἕπεσθαι*; 3, 17: *βουλόμην* pro *βουλοίμην*; 3, 20: ut videtur *ἑλεῖν* pro *ἐλθεῖν*; 4, 1: *τὴν θαλάττῃ* pro *τῇ θαλάττῃ*; 5, 2: ut videtur *ὄγριοι* pro *ἄγριοι*; 5, 2: *στρουθοὶ ἡ μεγάλοι* pro *στρουθοὶ οἱ μεγάλοι*; 5, 4: *αὐτῇ* pro *αὕτη*; 5, 10: *εὐφράτῃ* pro *εὐφράτου*; 5, 13: fortasse *τρέπειν* pro *τρέχειν*, cognosci enim in codice non iam potest; 5, 16: *κατακόψεσθαι* pro *κατακεκόψεσθαι*; 6, 5: *ὀρόντῃ* pro *ὀρόντα*, apparet mendum scripturae esse in paragrapho enim sexta reperitur *ὀρόντα*; 6, 8: *ἡ* pro *ἤ*; 7, 4: *γινομένων* pro *γενομένων*; 7, 8: *παρ' αὐτῶν* pro *παρ' αὐτόν*; 8, 3: *καθίζεσθαι* fortasse pro *καθίστασθαι*; 8, 10: *δια-*

λίποντα pro διαλείποντα; 9, 3: ἀκούειν pro ἀκοῦσαι; 9, 5: ἵπποις ἄρχοντα pro ἵπποις ἄριστα; 9, 8: μηδένα pro μηδὲν ἄν; 9, 11: φανερὸν pro φανερός; 9, 16: τοῦ τοὺς pro τούτους; 9, 19: τῆς pro ἧς; 10, 6: δεξάμενοι pro δεξόμενοι; 10, 9: κατακόψοιαν pro κατακόψειαν; 10, 11: ἐπίεσαν pro ἐπήεσαν; 10, 15: ἀπαγγεῖλαι pro ἀπαγέλλει. Ex quibus plurimis exemplis intellegas librarium codicis Cpr. non solum neglegenter, sed etiam imprudenter verba composuisse. Itaque cavendum est, ne iis locis, quibus bonam lectionem habet Cpr., hanc lectionem vitio laborare putemus, quia in ceteris melioribus codicibus aliud scriptum exstat. Dubitandum enim est, num librarius codicis Cpr. tam prudens fuerit, ut elegantem coniecturam facere posset. Eo referendi sunt hi loci: 6, 6: δόξαι τούτῳ, quod Cpr. praebet, quin melius sit, quam δόξαιτο αὐτῷ, quod D, aut quam δόξαί τῳ, quod Ccorr., dubium non est.

8, 1: cum codice Cpr. scribendum est ἀνὴρ Πέρσης τῶν ἀμφὶ Κῦρον πιστός, at non τῶν ἀμφὶ Κῦρον πιστῶν. Si reputaveris Xenophontem in capite VII narrasse Cyrum animo tum huc tum illuc fluctuasse, quid rex facturus esset, concedes lectionem πιστός praeferendam esse. Nam Cyrus cum iterum et saepius sperasset regem secum mox acie dimicaturum esse, Silano vate consulto regem consilium pugnandi abiecisse ratus iam neglegentius proficiscebatur paucosque ante se instructos habebat, cum subito Patagyas advectus est clamans regem magno cum exercitu adventare tamquam ad proelium committendum paratum. Nonne concedis aptiorem hic lectionem esse dignissimum illum Patagyam fuisse, cui fides haberetur?

Eodem modo 8, 3: ἐνεδύετο, quod scriptum exstat in libro Cpr., servandum est. Eadem enim forma utitur Xenophon Hell. VII, 2, 21: οἱ μὲν ἱππεῖς τοὺς θώρακας ἐνεδύοντο et Cyrop. VI, 4, 2: ἐπεὶ δ' ἔμελλε τὸν λινοῦν θώρακα, ὃς ἐπιχώριος ἦν αὐτοῖς, ἐνδύεσθαι.

8, 19: διίσταντο, quod A, B, Cpr., melius est quam ἵσταντο, quod D et ceteri habent.

9, 17: praebet Cpr. καὶ γὰρ στρατηγοὶ καὶ λοχαγοί, οἳ χρημάτων ἕνεκα πρὸς ἐκεῖνον ἔπλευσαν, ἔγνωσαν κερδαλεώτερον εἶναι κτλ', ceteri κ. γ. στρ. κ. λοχ. οὐ χρημάτων ἕνεκα πρὸς ἐκεῖνον ἔπλευσαν ἀλλ' ἐπεὶ ἔγνωσαν κερδαλεώτερον εἶναι κτλ'. Apparet hoc loco primum correctorem aliquem verbum οἳ vitiose scripsisse, tum alterum inseruisse, ut sensum restitueret, verba ἀλλ' ἐπεί, quae cum verbo οὐ sensum probabilem non praebere Rehdantz (l. l. p. 6) satis prudenter demonstravit.

9, 27: praeferam δύναιτο lectioni ἐδύνατο cum Rehdantzio atque Hugio; optativum δύναιτο natum esse propter proximum εἴη, ut adnotat Breitenbach ad hunc locum, tibi non persuadebis, si respexeris exempla mendorum, quae attuli, et animo perpenderis librarium codicis Cpr. stultiorem fuisse, quam ut tam subtilem et argutam orationem sua sponte componeret.

Eodem modo cum Cpr. 9, 28 recipere velim contra recentiores editores εἰ δὲ δὴ ὁπότε πορεύοντο καὶ πλεῖστοι μέλλοιεν ὄψεσθαι, προσκαλῶν τοὺς φίλους ἐσπουδαιολογεῖτο, ὡς δηλοίη οὓς τιμᾷ. Ad quem locum hoc modo restitutum eleganter enarrandum Rehdantz in commentario editionis satis probabilia attulit.

10, 5: cum Breitenbachio, Hugio, Rehdantzio praeferam ἔνθα δή, quod in Cpr. scriptum exstat, lectioni ἐνταῦθα δή quod reliqui libri et Ccorr. praebent. cf. I, 8, 2: ἔνθα δὴ πολὺς τάραχος ἐγένετο, I, 8, 4: ἔνθα δὴ σὺν πολλῇ σπουδῇ καθίσταντο, I, 8, 24: ἔνθα δὴ Κῦρος — ἐλαύνει ἀντίος, II, 1, 10: ἔνθα δὴ ἀπεκρίνατο Κλεάνωρ et saepius.

10, 6: Accedendum Rehdantzio et Schenkelio existimo de lectione προσιόντας, quam Cpr. solus exhibet, servanda, non accedendum de loco interpretando. Rehdantz enim interpretatur προσιόντας accusativum esse absolutum, Schenkl delet καὶ, ut accusativus προσιόντας

ex verbo *δεξόμενοι* pendeat. Equidem idem sentio quod Schenkl, sed mihi videtur verbum *καὶ*, quod servandum esse puto, spectare ad augendam notionem verbi *δεξόμενοι* ita, ut verbum *δεξόμενοι* verbo *προσιόντας* graviter oppositum sit. Itaque locum vertas: ut eos, qui impetum facturi essent (*προσιόντας*), ipsi quoque exciperent (*καὶ δεξόμενοι*).

Etiam 10, 6 verbum *ἐπῆγεν* subtiliorem notionem habere censeo, quam ut ad mendum librarii referendum sit. Itaque cum Schenkelio praeferam *ἐπῆγεν* lectioni ceterorum librorum. Nihil enim est, quod qui recipit 10, 16 *προεληλακέναι* uno libro Cpr. auctore, idem non recipiat *ἐπῆγεν* hoc loco.

10, 19 legendum esse puto *τῶν Ἑλλήνων*; Cpr. habet *αὐτῶν Ἑλλήνων*; sed si respexeris mendum quod scriptum est 9, 16 *τοῦ τοὺς* pro *τούτους*, non dubitabis mihi assentiri hoc loco *τῶν* ortum esse ex *αὐτῶν*.

Quos locos si diligentius perlustraveris, cognosces librum Cpr. solum saepius meliora exhibere in posteriore parte libri primi, non in priore parte, ubi plerisque locis codicem Cpr. una cum libro D praestare ceteris libris supra explicavimus. Itaque cum codex D in posteriore libri parte non eandem auctoritatem habeat atque in priore parte, a capite septimo usque ad finem libri conclusi sumus in codicem Cpr. In quo quae vel verba vel litterae exstant diligentissime ponderemus et comparemus cum lectionibus ceterorum codicum oportet, ut genuinam lectionem expediamus. Qua in re cave auctoritatem codicis Cpr. parvi facias, si lectio probabilem sensum praebeat. Supra enim ostendisse mihi videor scripturas codicis Cpr., ubi vitio laborant, plerumque ineptas atque absurdas esse.

Quod supra (p. 10 sq.) iam commemoravimus librarium codicis Cpr. non ita ex archetypo suo descripsisse exemplar suum, ut oculis perlustraret verba archetypi, sed ita, ut alter ei singula dictitaret, argumentis firmare nobis liceat. Ac primum quidem litteras *η*, *ει*, *οι*, quas Graeci recentiores et viri docti mediae aetatis enuntiabant eodem modo quo litteram *ι*, in codice Cpr. aliquot locis confundi cognosci potest; ut 2, 9: *σώσης* pro *σῶσις*; 5, 2: *ἡ μεγάλοι* pro *οἱ μεγάλοι*; 7, 10: *ἐξοπλησίᾳ* pro *ἐξοπλισίᾳ*; 8, 10: *διαλίποντα* pro *διαλείποντα*; 9, 6: *ἐπὶ* pro *ἐπεὶ*; 10, 9: *κατακόψοιαν* pro *κατακόψειαν*; 10, 11: *ἐπίεσαν* pro *ἐπῄεσαν* Cpr. scribit. Eodem referendum est, quod Cpr. 10, 9: *ἀναπτύττειν* pro *ἀναπτύσσειν*, quoniam illo scribendi atque pronuntiandi modo Graeci recentiores utebantur. Atque quia is qui librario dictabat litteras dicendo obscurabat aut devorabat, accidit ut librarius codicis Cpr. audiret 2, 12: *συννέσιος* pro *συεννέσιος*; 7, 4: *γινομένων* pro *γενομένων*; 7, 3: *ἀντὶ τῶν* pro *ἀντὶ ὧν*; 9, 8: *μηδένα* pro *μηδὲν ἄν*; 9, 16: *τοῦ τοὺς* pro *τούτους*; 9, 19: *κατασκευάζοντά τε τῆς* pro *κατασκευάζοντά τε ἧς*; 9, 27: *δ'ἐδύνατο* pro *δὲ δύναιτο*; 3, 1: *ὑπόπτευον* pro *ὑπώπτευον* 3, 9: *βουλομένων* pro *βουλόμενον*; 5, 14: *αὐτὸ* pro *αὐτῷ*. Eodem pertinere mihi videntur menda accentus ut *βασιλεία* pro *βασίλεια* (2, 7); *αὐτὴ* pro *αὕτη* (5, 4); *ἦ* pro *ἡ* (6, 8). Atque haesito an is, qui dictabat, pituita molesta laboraverit; nam 8,4 *ποταπῷ* pro *ποταμῷ* scriptum exstat.

Ad extremum explicare liceat, quae ratio intercedat inter codicem Cpr. et codices A et B et inter codicem Ccorr. et illos codices. Plurimis locis primi libri consentiunt A et B coniunctim cum Ccorr.; septuaginta hos locos numeravi

	Cpr.	Ccorr., A, B.
1, 2:	*Ἑλλήνων ἔχων*	*Ἑλλήνων δὲ ἔχων*
1, 3:	*λαμβάνει*	*συλλαμβάνει* (sed Ccorr. et A uno *λ* carent)
1, 5:	*διατιθεῖσα*	*διατιθεὶς*

Cpr.	Ccorr. A, B.
1, 8: τὴν — ἐπιβουλὴν	τῆς — ἐπιβουλῆς
1, 9: τῇ κατ' ἀντιπέρας	τῆς κατ' ἀντιπέρας
2, 1: om.	ὡς
2, 5: om.	παρὰ
2, 13: δὲ ἐλαύνει	δὲ ἐξελαύνει
2, 18: ἔφυγεν ἐπὶ (ut videtur)	ἔφυγεν ἐκ
2, 21: περιεῖχεν sive περιέσχεν	περιέχει
3, 1: ἄρξαιντο (quod Hug legit in Cpr.)	ἤρξατο
3, 9: τῶν βουλομένων	τὸν βουλόμενον
3, 16: ποιουμένου	μὴ ποιουμένου
3, 17: om.	αὐταῖς
3, 17: ὤ	ᾧ ἂν
3, 17: om.	οἷόν τε
3, 17: βουλόμην	βουλοίμην
3, 20: ἐλε ⁚.	ἐλθεῖν
4, 2: αὐταῖς	αὐτῶν
4, 3: ἐπὶ νεῶν	ἐπὶ τῶν νεῶν
4, 4: εὖρος πλέθρου	εὖρος ἦν πλέθρου
4, 5: om.	παρέλθοιεν
4, 7: ἔμεινεν	ἔμειναν
4, 7: τοὺς παρὰ κλεάρχω	τοὺς παρὰ κλέαρχον (A: τὸν κλέαρχον)
4, 7: δειλοὺς	δήλους
5, 1: om.	πέντε
5, 1: ὁμαλὲς	ὁμαλὸν
5, 2: om.	τοῖς ἵπποις
5, 2: om.	μὲν — δὲ
5, 4: αὐτή	αὕτη
5, 7: λαβόντα	λαβόντας
5, 9: ὅσω	ὅσῳ μὲν ἂν
5, 10: εὐφράτη	εὐφράτου
5, 13: om.	τὸ et paulo post μὲν
5, 14: αὐτὸ	αὐτῷ
5, 14: ὀλίγου	ὀλίγον
6, 2: ἂν ἕλοι	ἕλοι
6, 3: πίστεως	καὶ πίστεως
7, 4: εὖ . . . μωι	εὐτόλμων
7, 4: γινομένων	γενομένων
7, 6: ἀρχὴ πατρώα	ἡ ἀρχὴ ἡ πατρῴα
7, 6: bis μέχρισ	μέχρι
7, 12: ἡμέραις	ἡμέρας
7, 18: τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης ἡμέρα	τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας

Cpr.	Ccorr., A, B.
8, 3: *ἐνεδύετο*	*ἐνέδυ*
8, 3: om.	*τὰ παλτὰ*
8, 4: *ποταπῷ*	*ποταμῷ*
8, 9: om.	*τῷ*
8, 10: *διαλίποντα*	*διαλείποντα*
8, 14: om.	*τῷ*
8, 14: *προςήει*	*προήει*
8, 18: *οἶον*	*οἷόν περ*
9, 3: *ἀκούειν*	*ἀκοῦσαι*
9, 4: *τιμωμένους*	*τοὺς τιμωμένους*
9, 5: *ἵπποι ἄρχοντα*	*ἵπποις ἄριστα*
9, 6: *ἐπὶ*	*ἐπεὶ*
9, 7: *πλείστου*	*περὶ πλείστου*
9, 11: *φανερὸν*	*φανερὸς*
9, 16: om.	*αὐτῷ*
9, 16: *τοῦ τοὺς*	*τούτους*
9, 17: *οἱ* vel *οἶ*	*οὗ*
9, 18: *γέ τις*	*γέ τι*
9, 18: *οὐδὲν*	*οὐδενὶ*
9, 22: om.	*ὢν ἀνὴρ*
9, 23: om.	*κόσμον*
9, 25: om.	*πολλοῦ*
9, 28: *δὴ ὁπότε*	*δή ποτε*
10, 4: *πάντα*	*πάντας*
10, 4: *πάντα*	*πάντες*
10, 7: *κατέκανε*	*κατέκτανε*
10, 9: *ἀναπτύττειν*	*ἀναπτύσσειν* (A uno sigmate)
10, 12: *γιγνώσκειν*	*μὴ γιγνώσκειν*
10, 15: om.	*ὅ*
10, 16: *προεληλακέναι*	*προσεληλακέναι*

Cpr. idem habet, quod A et B his locis: 3, 14: *ἐλθόντα* (Ccorr.: *ἐλθόντας*); 3, 16: *τὸν στόλον* (Ccorr. omittit *τὸν*); 4, 5: *βιασάμενος* (Ccorr. *βιασάμενοι*); 5, 5: *παρὰ τὸν ποταμὸν* ubi Ccorr. *παρὰ* omittit; 6, 6: *δόξαι τούτῳ* (Ccorr. *δόξαί τῳ*); 7, 5: *εἶπεν* (Ccorr. *εἶπε*); 8, 20: *διίσταντο* (Ccorr. *ἵσταντο*); 9, 27: *ἑαυτῶν φίλους* (Ccorr. *ἑαυτοῦ φίλους*); 9, 31: *ἀπέθανον μαχούμενοι* (Ccorr. *μαχόμενοι ἀπέθανον*).

Cpr. cum libro A consentit his locis:

Cpr., A.	Ccorr. (semper fere B):
2, 8: *ἐκδείρειν*	*ἐκδεῖραι*
2, 9: *σώσης*	*σωσίας* (rec.)
2, 21: *ἔμεινεν*	*ἔμειναν* (rec.)
3, 1: *αὐτὸν ἔβαλλον*	*αὐτόν τε ἔβαλλον*
3, 2: *ἐξέφυγε μὴ* (A *ἐξέφυγεν*)	*ἐξέφυγε τὸ μὴ*

	Cpr., A.	Ccorr, (semper fere B).
3, 6:	πείϑεσϑαι	πείϑεσϑαι οὐδὲ ἕπεσϑαι
3, 12:	om.	φίλος
5, 2:	πλεῖστοι ὄνοι ἄγριοι	πλεῖστοι μὲν ὄνοι ἄγριοι
5, 8:	ὧς	ὃς
5, 16:	κατακόψεσϑε	κατακεκόψεσϑε B: κατακόψεσϑαι
6, 5:	ὀρόντα (A ὁρόντα)	ὀρόντου
6, 10:	προϑέσϑαι	προσϑέσϑαι
9, 6:	τὰς ὠτειλὰς	τὰς ὠτειλὰς φανερὰς
9, 12:	αὐτῷ	αὐτῶν
9, 21:	αἰσϑάνοιτο ἕκαστον	ἕκαστον αἰσϑάνοιτο
10, 5:	πέμποιε	πέμποιεν
10, 9:	κατακόψειαν	διακόψειαν
10, 15:	ἀπαγγεῖλαι	ἀπαγγέλλει
10, 17:	om.	οὖν
10, 19:	αὐτῶν	τῶν

Triginta igitur locis Cpr. consentit cum codice A, si eo numero comprehendis novem locos, quibus Cpr. cum utroque libro, A et B, consentit.

Lectio codicis Cpr. lectioni cod. A similis est 4, 1: Cpr. *τὴν ϑαλάττῃ*, A *τὴν ϑάλατταν*, Ccorr. (B) *τῇ ϑαλάττῃ*; 6, 8: Cpr. *ἧ*, A *ἡ*, Ccorr. (B) *ᾗ*; 10, 6: Cpr. *προσιόντας*, A *προσιόντες*, Ccorr. (B) *προσιόντος*.

Cpr. idem habet quod B 4, 13: *μέχρισ* (Ccorr. A: *μέχρι*). Itaque decem locis Cpr. cum B consentit.

Quae cum ita sint, persuasum mihi est codicem Cpr. codici A propinquiorem esse quam codici B. Sed adduci non possum, ut credam codicem A aliquanto recentiorem esse quam codicem B, quod Arnoldus Hug ex supplementis collegit, quae a correctore quodam nonnullis annis post 1462 codici C illata in codice A invenirentur, in codice B non invenirentur.

Illae autem correctiones codicis C, quae sunt in codice B neque sunt in codice A, minus antiqua manu esse scriptae quam ceterae correctiones et, postquam codex A descriptus est ex codice C, huic codici admotae esse videntur; sed hoc discernere neminem posse puto nisi viros doctos, qui codicem C ipsum suis oculis perlustraverunt aut perlustrabunt.

Sed ut paucis complectar, quae explicavi, hanc esse rationem existimo, qua in genuina oratione Xenophontea constituenda utamur necesse est. Codicem Cpr. plus auctoritatis habere codice Ccorr. multis exemplis argumentisque demonstrasse mihi videor. Praeterea in prioribus capitibus sex libri primi codex Cpr. diligentissime comparandus est cum codice D. Qui libri ubi consentiunt, plerumque salva fide lectiones recipere possumus; ubi dissentiunt, nos lectiones ponderare oportet, quibus locis quod intellegam codex Cpr. habet plus auctoritatis quam codex D. Etiam in posterioribus capitibus quattuor censeo lectiones codicis Cpr. lectionibus codicis Ccorr. et aliorum praestare. Iis locis libri primi, quibus codicis Cpr. lectio correctionibus obscurata est, ut eruamus lectionem genuinam, in priore parte saepissime codex D, aliquot locis codex A, in posteriore parte libri codex A solus nobis utilitati esse potest, quod hunc librum propinquiorem esse puto codici Cpr. quam ceteros codices.